

3-8-22

Carbóna, Gabriel

**SM**  
**C<sup>a</sup>1**  
**10**







1055094

SM C\*1 10



SM  
ca 1  
10



# SELECTÆ

IN CURSU PHILOSOPHICO,  
QUEM TYRONIBUS DICTABAT

R. P. P.<sup>tus</sup> Fr. GABRIEL CARDONA CARMELITA.

## PROPOSITIONES.



### EODEM PRÆSIDE

### PUBLICO CERTAMINI EXPONENT

D. Joannes Fronti, et Fr. Cyrillus Piris Carmelita

Die 21 Oct. an. 1810.

D. Gregorius Hernandez, et Fr. Brocardus Cardona Carm.<sup>ta</sup>

Die 28 ejusdem mensis et anni.

### IN TEMPLO CARMELI.

---

MAGONE. Ex prælo Joannæ Fabregues Viduæ.

R. 40.860





SELECCTAE

E CURSU PHILOSOPHICO,  
QUEM TYRONIBUS DICTABAT

R. P. M. R. GARNIER CAROLUS CARMELITA

PROPOSITIONES



EODEM PRÆSIDE

PUBLICO CERTAMINI EXPONENTE

D. Joannes Fronti, et Fr. Cyrillus Jans Carmelita

Die 21 Oct. an. 1810.

D. Gregorius Prætor, et Fr. Theobaldus Carmelita

Die 23 ejusdem mensis et anni.

IN TEMPIO CARMELI

MAGONE. Ex typis Joannis Fabricii



# CUILIBET

*Studiosæ Juventutis Amatori*

DICATUM.

**T**ibi, **OPTIME**, qui noris quod cultura animi Philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus, præparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his et serit, quæ, cum adoleverint fructus ferent uberrimos: Tibi, qui persuades quod hæc studia litterarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur: Tibi, inquam, qui juventutem amas, studia colis, patriam exornas, bono publico consulis, virtutem laudas, vitia execraris, sapientiam sequeris, religionem in obsequio, et Deum in corde habes; se, suasque theses consecrant

Addictissimi, qui supra,  
Magister et Discipuli.



## *Monitum.*

**O**mnes periodi, quibus numerus aliquis præfigitur, sunt totidem propositiones defendendæ, ceteræ vero non sunt nisi annotationes, vel etiam quædam propositiones, majoris connexionis et ornatus gratiâ hinc inde dispositæ, quas disceptare non est in animo.



# EX PROLEGOMENIS.

1. **C**UM nobis certum sit *hominem* neque omnia scire, quod *Dei* est, neque omnia nescire, quod est *pecudis*, ut ait *Lactantius*, nec de omni materia disputare temerè præsumimus cum veteribus *Sophistis*, nec de omnibus dubitamus cum *Pyrronicis*, sed mediam insequentem viam, asserimus aliquas esse veritates solo rationis lumine certissimas, atque evidentissimas, adeoque existere apud nos veram *Philosophiam*.

2. Hanc *Deus Opt. Max.* infudit *Protoparenti Adamo*, adeo ut rerum naturalium exquisitâ, perfectaque notitia polleret.

## Ex Logica.

**O**bjectum *Logicæ* sunt tres mentis humanæ operationes, videlicet *Perceptio*, *Judicium*, et *Discursus*.

3. *Perceptio*, seu idea est mera alicujus objecti repræsentatio in mente existens. Quare *nihil* non potest percipi, sive esse objectum ideæ; nec *impossibile* percipi potest ut possibile.

Primaria et foecundissima mentis nostræ circa suas ideas functio est reflexio, ex qua derivantur aliæ, tanquam rivuli é fonte. Equidem mens per reflexionem in suis ideis comparandis, expendendis introspiciendis, resolvendis, abstrahendis, distinguendis, in varias classes distribuendis jugi nisu exercetur. Sic formatur, crescit, et perficitur ratio humana,



humana, animusque ditissima cognitionum supellectili exornatur.

Quibusdam autem signis ideas nostras manifestamus, nempe vocibus, scriptura, et gestu.

4. Voces sunt signa arbitraria, tum cogitationum nostrarum, tum ipsarum rerum.

5. Plures sunt in variis linguis voces, quæ præter primariam seu principalem significationem, aliam ex usu habent accessoriam, qua fiunt obscenæ vel impudentes, aut contra honestæ et verecundæ.

6. Sed unde linguarum diversitas? Ex confusione sequuta in ædificatione turris Babelicæ primam trahit originem.

7. Adam scribendi arte omnino carebat, quæ non nisi post diluvium, tempore Moysis inventa est.

Gestibus delectabantur præsertim Orientales, quorum imaginatio vivida quærebat in sermone picturam.

8. *Judicium* est sententia mentis, de idearum convenientia aut repugnantia pronuntiantis; sive est actus, quo unum de alio mens affirmat, aut negat. Actus ille est simplex.

Sex vero sunt, quæ mentem nostram movent ad assensum, vel dissensum, scilicet sensus intimus, evidentia, sensuum relatio, testimonium hominum, memoria, et analogia.

9. Sensus intimus, et evidentia sunt motiva judicii metaphysicé certa.

10. Pro rebus sensibilibus dijudicandis relatio sensuum externorum requisitis vestita conditionibus est motivum physicé certum.

11. Ex testimoniis hominum obtineri potest certa factorum tum coævorum, tum jam diu præteritorum cognitio.

12. Quin



12. Quin et factorum supernaturalium, seu miraculorum veritas ex hominum testimonio certó constare potest.

13. Memoria est motivum judicandi certum: item Analogia plurimis in circumstantiis.

Errorum, quibus obnoxium est iudicium, fontes et remedia, si forte requirantur, assignabimus in palæstra.

*Discursus* seu *Ratiocinium* est actus mentis, etiam simplex, quo unum iudicium ex pluribus aliis infertur.

*Discursus affirmativus* nititur isto axioma: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; negativus autem hoc alio: *Ea, quorum unum convenit cum tertio, et alterum non convenit cum eodem tertio, inter se non consentiunt.*

Approbamus octo syllogismorum regulas á Veteribus traditas, nempe: *Terminus esto triplex &c.* hanc tamen generalissimam, quam nunc tradunt Dialectici: *Una præmissarum conclusionem contineat, et altera contentam declaret*, pluris æstimamus, utpote quæ syllogismis efformandis, tum sophismatibus detegendis breviorẽ præbeat viam.

Harum mentis nostræ operationum complementum est *Methodus*, quæ generatim est via, et ratio inquirendi verum, quod adhuc latet, et illud explicandi, cum jam inventum est.

Ad detegendam veritatem ignotam, et obtinendam quæstionum solutionem methodus analytica plerumque adhibetur; ut autem veritas jam cognita aliis demonstretur, methodo synthetica uti solet: utraque tamen inservire potest, ad veritatem tum inveniendam, tum aliis demonstrandam atque explicandam.

EX



*Ex Metaphysica.*

## THEOSOPHIA.

14. Supremi Numinis existentiam invicté demonstrant

- 1<sup>o</sup>. Unanimis populorum consensus,
- 2<sup>o</sup>. Conscientiæ stimuli,
- 3<sup>o</sup>. Materiæ creatio,
- 4<sup>o</sup>. Necessitas primi motoris,
- 5<sup>o</sup>. Dispositio orbis universi,
- 6<sup>o</sup>. Existentia entis necessarii,
- 7<sup>o</sup>. Mentis nostræ creatio, illiusque cum corpore conjunctio,
- 8<sup>o</sup>. Idea entis infinité perfecti.

Quo igitur anathemate concutiemus, qui contra Deum debacchati sunt, atheos?

15. Nam alioquin atheismus nedum publicæ felicitati, quin et privatis commodis est infensissimus.

16. Infensus pariter est, absurdus, et ridiculus Polytheismus.

Turpissimum hunc errorem cognoverunt speculatiores inter ethnicos; Horatius v. g. dum dei cujusdam hortorum custodis originem contumeliosis ironiæ salibus aspergit:

Olim truncus eram ficulneus, inutile lignum,  
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum,  
Maluit esse deum; deus inde ego, furum aviumque  
Maxima formido.

(*Lib. I. Satyr. VIII.*)

17. Malum cujuscunque generis sub unico Ente summé perfecto consistere potest.

18. Deus a corporea face est omnino segregatus.  
Sed quomodo immensitatis naturam cum divina  
simplicitate



simplicitate conciliabimus?

19. Ea in re non mediocriter insudarunt Scholæ, sed parum feliciter: unde satis erit agnoscere in Deo, quod sit rebus omnibus ac locis intimé præsens.

20. Æternitas ita Deo est propria, ut nulli prorsus creaturæ competere queat.

21. Deo nihil est occultum; soloque nutu omnia facere prævalet.

22. Æterna decreta non mutat Deus; est tamen liber in suis actibus externis: atque etiam ex hypothesis quod agat, non tenetur ad optimum.

” Beneficia Dei nunc offeruntur ultro, nunc dantur orantibus. Quis est qui non senserit munificentiam Dei? Nemo est expers beneficiorum cœlestium: nemo est ad quem non aliquid manaverit ex fonte illo benignissimo.“ Seneca.

23. Providet itaque rebus omnibus, quæ sunt ac fiunt in mundo, sed homini præsertim.

Quæstionem vero de providentiæ divinæ in mentium creaturarum actiones influxu, potiori jure sibi vindicat sublimior scientia, sacra nempe Theologia.

## PSYCHOLOGIA.

Ad Theologiam etiam pertinet tractatio de Angelis, nam pauca admodum de his nobilioribus spiritibus lumine naturali novimus.

Cognitio animæ nostræ quantum sit excolenda nec latuit Paganos, unde tanquam oraculum é cœlo lapsum templi Delphici foribus hanc sententiam aureis litteris insculpserunt: *Nosce teipsum.*

24. Est itaque mens humana *Substantia rationalis, creata, regendoque corpori accommodata.* Creatur  
autem



autem á Deo post aptam corporis organizationem.  
 25. Substantia illa est spiritualis, seu á corpore prorsus distincta, atque diversa.

Quo pacto igitur anima vere in corpus, et corpus vicissim in animam agere queat, ut perenni experientia novimus?

Arcani hujus foederis leges infinitá Dei potentia et sapientia constitutas ab intellectu nostro comprehendendi non posse fateamur.

26. Ut tamen mutuum illud commercium explicent Philosophi, in diversas abeunt opiniones, inter quas præferimus antiquam et vulgarem de influxu physico.

Ex conjunctione mentis cum corpore nascuntur sensationes, nempe ii sensus quos experitur anima, ubi corpus aliquod externum quasdam corporis nostri partes commovet.

27. Lex sensationum est, ut quoties ab objecto sensibili mutatio aliqua producitur in organo sensorio rite constituto, toties in anima oriatur sensatio quedam particularis huic mutationi respondens.

28. Tunc anima sentit, cum motus ab objectis sensibilibus nervis sensoriis impressus, ad cerebrum usque propagatur; unde merito videtur habere sedem propriam in solo cerebro.

29. Objecta jam cognita anima vel appetit, vel aversatur; ita tamen ut non ea appetat nisi sub ratione boni, non aversetur nisi sub ratione mali.

30. Anima sese determinat ad volendum, vel nolendum sine ratione sufficiente, in sensu Leibnitzii, non tamen sine aliquo motivo.

31. Nihilominus in suis volitionibus, ac nolitionibus est prorsus libera.

32. Tandem mens humana ut naturaliter perire (no. 25.) nequit, ita etiam exuto corporis domicilio



cilio superstes á Deo servatur; ac proinde altera admittenda est vita.

33. Æternam fore justorum beatitudinem ratio persuadet; nec unquam ab incredulis demonstrabitur repugnare æternam impiorum pœnam.

34. Anima brutorum est etiam immaterialis, seu spiritualis, longe tamen ignobilior humanâ, ac præsentium dumtaxat, corporearumque rerum motionibus obsequens, brevique tempore duratura.

## *Ex Physica Generali.*

**S**upervacanea est quæstio, quæ corporum existentiam vindicat, nec minus inutilis, quæ intimam ipsorum naturam scrutatur; hanc excusat ignorantia, illam supra modum evidentiâ. Eas tantum proprietates proponimus, quas nobis objicit corporum cortex, nec ulli rei studuimus, nisi quæ utilis esse possit.

*Extensio.* Corpus omne est extensum, seu habet partes extra partes; at non omne extensum est corpus.

35. Nam nec natura horret extensionem, quæ sit corpore vacua, nec eam minus existere demonstrant rationes validissimæ.

36. *Divisibilitas.* Porro extensio quælibet tum solida, tum vacua, est geometricè divisibilis in infinitum.

Corpus vero etsi naturâ, vel arte dividatur in partes miræ tenuitatis, haud est in infinitas physicè divisibile. Quando partes corporis indivisibiles emergant, definiri non potest.

*Figurabilitas.* Corpusculis etiam tenuioribus sua  
superest



superest figura.

Corpus scilicet ut maximum, ita vel minimum intra certos extensionis limites coercetur, in quorum dispositione, et ordine sita est figurabilitas.

37. *Impenetrabilitas.* Præterea nullum corpus in eadem spatii parte, ubi existit, alterum simul coexistere permittit.

Quo pacto igitur corpora à fluidis, vitrum à lumine, ferrum ab igne &c. penetrari dicuntur?

38. *Porositas.* Quia nempe corpora omnia, quamvis ponderosissima innumeris scatent meatibus, seu poris, qui recipiendis corporibus sunt idonei.

Quantitas pororum absoluta determinari non valet; satis accuratè relativa.

*Mobilitas.* Leges, quas tenet natura in motibus simplici, composito, colliso, reflexo, refracto multis phœnomenis explicandis inserviunt; et quot usibus non adhibentur? quotve artes ab iis non pendent?

Nec minoris sunt commodi motus, qui fiunt machinarum beneficio. Sunt quippe machinæ instrumenta, juvandis hominum conatibus accommodata.

Numerantur præcipuæ vectis, statera romana, libra vulgaris, molæ aquâ vel vento versatiles, axis in peritrochio, trochlea, cochlea, planum inclinatum, cuneus, et rotæ dentatæ.

Nullâ habita ratione obstaculorum vel à mediis resistantibus, vel à mutuis partium frictionibus, hæc generalis pro præfatis machinis tenenda est regula: *Adest æquilibrium, si pondera æqualia æqualiter distent à fulcro, seu puncto fixo;* quâ jam dolos erroresque, qui in machinas subrepunt detegere vales, jam quantitatem et velocitatem potentiæ æstimabis ad pondus superandum.



39. *Gravitas.* Omnia corpora sunt gravia, ne illis quidem exceptis, quæ hominibus imperitis levissima creduntur.

Centrum gravitatis est punctum, ex quo corpus utcumque suspensum manet in æquilibrio, nullâ parte præponderante. Cum igitur totum corporis pondus in centro gravitatis sit veluti collectum, eo labente, totum corpus præceps ruit, et vice-versa. Hincque explicantur quædam phœnomena, quæ exhibet ars architectica. Turres v. g. Pisana et Bononiensis firmissimè stant, licet in horizontem sint valde inclinatæ. Quare? Quia nimirum perpendicularis à centro gravitatis ad horizontem producta (quæ vocatur linea directionis) extra earum basim non excurrit.

Centri gravitatis inveniendi rationem formulâ algebraica tradere solent Geometræ; nobis vero, qui rerum facilitati aliquando studemus, eum in corpore quovis mechanicè determinare, si quæras, satis erit.

40. Ceterum in detegenda physica gravitatis causa irritò prorsus conatu insudarunt Philosophi.

41. Sæculo proximè elapso explicatæ sunt à Cl. Newtono vires inertix et attractionis. *Inertia*, quæ corpora statum suum seu motus, seu quietis perpetuò tueri conantur, eorum massis est directè proportionalis. *Attractio* vero legem præcipuam in corporibus cœlestibus offert, quæ proinde statim (n.º 50) recurret, ubi de astris erit sermo.

## *Ex Physica Speciali.*

### ASTRONOMIA.

42. Corpora cœlestia, quorum naturam, phœnomena,



mena, et motus considerat Astronomia, sunt sol, stellæ fixæ, planetæ, et cometæ. Solis substantia est ignea.

43. A solis exhalationibus originem habent fuligines illæ, seu maculæ subnigræ irregularis figuræ et durationis, quas in eo, ope telescopii primus omnium detexit Galilæus. (juxta alios Scheinerus)

Stellæ fixæ, sic dictæ quod eandem inter se distantiam constanter servant, proprio etiam lumine scintillant, et haberi possunt ut totidem soles nostro similes.

Distribuuntur in asterismos seu constellationes, quæ sunt plurium stellarum certo ordine dispositarum congeries. In his constellationibus, quarum 12 zodiacum occupant, animantium formas aliarumve rerum imagines finxerunt veteres, quas recentioribus retinere placuit. Stellæ vero hisce asterismis non comprehensæ informes, seu sporades sunt appellatæ.

Ex informium stellarum multitudine et unione trahit originem galaxia, sive via lactea, quæ silente luna, serenaque nocte apparet in cœlo: hunc nempe cœli tractum Galilæus iterum telescopio armatus innumeris et minutissimis stellis refertum esse deprehendit.

Planetæ, seu stellæ erraticæ sunt corpora opaca, quæ lumen á sole acceptum reflectunt; hinc Luna pro variis solis aspectibus diversas exhibet phases seu formas, sicut Mars et ceteri planetæ.

44. Possibiles sunt Planeticolæ; et opinionem, quæ stat pro eorum existentia, non jocosam reputamus, sed quæ teneri et defendi possit á viro Philosopho.

45. Quidam olim, viso cometa, populum ridiculis prædictionibus territabant; sed cometæ sunt corpora mundo coæva, quæ circa solem certâ



período revolvuntur.

46. Cometarum barbæ, caudæ, et crines sunt congeries exhalationum ab eorum nucleo ascendentium.

47. Sive sydera influant in corpora terrestria, sive non, nullus certé est eorum influxus in hominum animos, vanaque Astrologia judiciaria.

48. Tria systemata excogitata sunt, quibus explicarentur corporum coelestium phœnomena, situs, et motus; aliud á Ptolomeo, aliud á Copernico, et aliud á Tichone—Braheo. Profiteor equidem me parere iudicio S. Rom. Eccl, quæ sapientissimé omninó vetuit ne hypothesis Copernicana tanquam *Thesis* defenderetur. Attamen juxta hypothesim Copernicanam feliciter explicantur corporum coelestium phœnomena.

49. Possunt Copernicani Sacræ Scripturæ testimonia motui telluris, ac solis quieti adversantia facili negotio explicare.

50. Causas hujus systematis physicas assignare tentarunt Cl. viri Cartesius et Newtonus; sed amotâ Cartesianâ vorticum structura, Newtonianam attractionem admittimus, cujus lex est ut corpora coelestia sese mutuo attrahant in ratione directa massarum, et duplicata inversa distantiarum.

### GEOGRAPHIA.

51. Quamvis certo cognita non sit accurata telluris figura, eam tamen ad polos compressam, versus æquatorem oblongatam esse demonstrant observationes atque experimenta.

52. Telluris superficiem mira varietate exornant plantæ, quæ omnes ex proprio nascuntur semine.

53. Fontes immediatè non oriuntur ab aquis marinis,





rinis, sed á pluviis, nivibusque solutis.

Et montium origo? Plurimi montes á Deo conditi sunt in ipso mundi exordio, quod inficiari non licet iis Philosophis, quibus Scripturæ Sacræ lumen affulsit, ubi (Genes. cap. 7 vers. 19.) memorantur montes antediluviani.

Montes ignivomi Ethna in Sicilia, Vesuvius juxta Neapolim, Hecla in Islandia naturæ beneficia reputandi sunt qui liberum substantiis in terræ sinu inflammatis præbent exitum. Ex his ignibus subterraneis aliquandiú impeditis nascuntur terribiles terræ - motus.

In terræ gremio latent etiam succi arenâ, sale, oleo foeti, ex quibus vario modo dispositis varia formantur lapidum genera. Quod si tenuissimæ sint arenarum et salium partes, et firmiús secum invicem colligatæ, hinc nascetur adamas; si vero massæ pori juxta lineas rectas dirigantur, ita ut liberum et facilem lumini transitum præbeant, inde exurget crystallus; si tandem in molis compositionem veniant corpuscula metallica, inde orientur gemmæ diversis tinctæ coloribus, prout diversæ erunt particulæ metallicæ.

Quis non miratur eximias virtutes illius lapidis, qui dicitur magnes? atvero quoad physicam effectuum magneticorum causam, ignorantiam nostram fatemur.

Præterea é corporibus terrestribus continuó avolant exhalationes atque vapores, ex quibus in vastissimo atmosphæræ oceano generantur meteora aerea, aquea, ignea.

Inter causas ventorum physicas censentur præcipuè solis calor, fermentationes in terræ visceribus, resolutio vaporum in pluvias, nubium descen-  
sus,



sus, liquatio nivium, inflammatio meteororum.

Fabulis prorsus amandamus illas sanguinis, lactis, piscium, ranarum, bufonum, arenarum, lapidum, lanarum, sulphuris, ferri, frumenti pluvias, quæ a quibusdam historicis memorantur.

Cum nubes procellosa spectari possit tanquam ingentissimus conductor immensâ fluidi electrici copiâ prægnans, et illud cuspidibus proprium sit, ut suam conductori electricitatem tacité, et sine ullo strepitu subripiant, inde colligimus cum expertissimis viris Franklin et Dalibard, nullum esse adversus fulmen remedium efficacius, quam vectem ferream quæ in apicem desinat.

54. Ignis autem electricus non videtur diversus ab igne elementari.

55. Physica electricorum phœnomenorum causa est diversa ignis quantitas, quæ natura, vel arte induci in corporibus potest.

## AEREOMETRIA.

Existentia aeris tum á flantibus ventis, tum á nubibus in aere suspensis in tuto collocatur, ut quilibet videt, licet nemo aerem videat.

56. Aer est fluidus, gravis (n.º 39), et elasticus.

57. Liquorum in tubis vulgaribus et antliis ascensus et suspensio ab aeris externi pressione oriuntur: hinc nostris temporibus ridicula evasit illorum opinio, qui ascensum aquæ in antliis adjudicant horrori (n.º 35) vacui.

58. Causa vero ascensus liquorum in tubis, qui propter nimiam diametri tenuitatem dicuntur capillares, feliciori ævo invenienda reservatur. Sed interim tuborum capillarum phœnomena repetimus,



mus, cum Newtonianis, ex mutua aquæ et vitri attractione.

Experimenta circa aerem tentata beneficio machinæ pneumaticæ, varias illius affectiones mediam in lucem proferunt: etenim ex eo quod v. g. sonus tintinnabuli sub excipulo constituti, prout deest aer, fiat debilior; et animal, agitato embolo, intumescat, titubet, et tandem moriatur, ritè concludo aërem esse vehiculum soni, et omninó necessarium ad vitam animale.

59. Cum mercurius cœlo sereno ascendat, et cœlo nimboſo descendat in barometro, hinc gravior est aer serenus, quam nubilus et pluviosus.

Hodierna physicorum industria ex variis substantiis varias elicit aeris species, quæ communi nomine appellantur *Aer factitius*. Inter eas principem locum obtinent aer acidus, alkalinus, fixus, inflammabilis, dephlogisticus, mephiticus et nitrosus, quas edisseram, si occasio tulerit.

## HYDROSTATICA.

Fluidum sibi permissum, primó ad libellam sese componit, deinde in æquilibrio constituitur.

Liquida juxta directionem quamlibet æqualiter premunt, id est, a summo deorsum, ab imo sursum, et versus latera. Adversus lateralem pressionem cautiones adhibendæ sunt etiam in muris campestribus, quorum interior materia vel tantillum habet fluiditatis, sive propter ejus partium tenuitatem, sive quia inter se parum habent coherentiz. Hæc cautio in promptu est, si detur parietibus sufficiens talus.

60. Pressio fluidorum in basim æstimanda est ex altitudine et basi, quæcumque sit vasis figura.



Liquores ejusdem naturæ in duobus tubis communicantibus etiam ad libellam sese componunt, tunc in æquilibrio stare debent.

Si vero liquores sint diversæ gravitatis specificæ, in æquilibrio non constituuntur, nisi ipsorum altitudines sint in ratione reciproca gravitatum specificarum.

Quando corpus solidum fluido immergitur, his legibus tenetur. Si est ejusdem gravitatis specificæ ac fluidum, debet in æquilibrio constitui quocumque in fluidi loco versetur; id est, vel in fundo, vel in medio, vel in ipsa superficie. Cum corpus est fluido specificè gravius, tunc fundum petat necesse est cum suæ gravitatis excessu. Si tandem sit specificè levius, fluido supernatat, et una dumtaxat sui parte in illo submergitur. Legem hanc servant etiam fluida leviora respectu graviorum; id est, quando fluidum specificè levius affunditur in gravius, tunc levius graviori supernatat.

Porro corpus solidum fluido immersum eam amittit ponderis sui partem, quæ æqualis est gravitati paris voluminis fluidi, cujus locum occupat. Jam igitur ope immersionis explorari, et detegi potest quodnam sit gravitatis specificæ discrimen plurima inter corpora diversæ naturæ, v. g. inter diversa metalla. Ex duobus enim metallis in eodem fluido simul immersis, quod gravius minorem, quod vero levius majorem amittit ponderis sui partem. Hæc regulâ ductus Archimedes, cum olim invenisset coronam Hieronis Siracusarum regis, quam ex auro totam confici jusserat, artificis fraude partim auream esse, partim argenteam, prope amens gaudio é balneo exiit clamans: *Reperi, reperi.*  
Tanta



Tanta est doctrinæ vis et suavitas aliis omnibus vitæ humanæ deliciis longe anteponeunda!

### QUALITATES CORPORUM SENSIBILES.

61. Calor oritur ex particulis igneis é corpore calido erumpentibus; frigus vero ex parte corporis frigidi consistit in particularum ignearum vel absentia vel quiete. Causa ignem expellens, aut sistens, sunt quædam corpuscula salina et nitrosa, quæ appellantur *frigorifica*.

Ad tuendam hominum valetudinem necessarium omninó esse lentum frigoris calorisve progressum, satis ostendit infinita Dei providencia, quæ conservationi nostræ consulens, admirandis legibus instituit tempestatum vicissitudines. Equidem nimia caloris, aut frigoris in corpore succedentis velocitas universum œconomia animalis systema labefacit atque omninó perturbat. Ex imprudenti balnearum frigidorum usu subitanam mortem non raro originem habuisse testantur doctissimi Medici, inter quos Lancisius laudatus á Jacquierio.

62. Sapor ex parte corporis sapidus pendet ex illius particularum motu, figura, aliisque affectionibus mechanicis. Sic fructus inter maturescendum ex acidis fiunt dulces, quòd solis calor novam ipsorum particulis acuminatis afferat figuram, atque texturam.

63. Odores vero consistunt in effluvio partium sulphurearum et salinarum, quæ sunt tenuissimæ. Ita quidem ut aromata per longum tempus jucundissime oleant absque sensibili suæ molis, sui que ponderis dispendio.

64. Sonus, objectum auditus, ad aures nostras  
ab



ab aere defertur, non per motum undulationis, sed per motum ipsius tremulum seu vibrationis.

Cum echo sit sonus reflexus, in locis cavernosis, montosis, scopulosis, clivosis, nemorosis frequentius auditur. Quod etiam nubes sonum reflectere, et echo gignere queant, ostendunt terribiles et crebro repetiti tonitruum fragores.

Sonus harmonicus, seu *Musica* ita disponi potest, ut diversos plane affectus gaudii vel tristitiae, amoris vel odii, serenitatis vel iracundiae excitet in anima, cujus rei exempla nobis offerunt historiae cum sacrae, tum profanae.

65. Oculi denique rite dispositi delectantur luce, quae gravis (n.º 39) est, et consistit in tenuissimis effluviis e corpore lucido tanquam centro jugiter prosilientibus.

66. Radii luminis ex natura sua (Newtonum experimenta sequutum sequimur) procreant colores, quorum primigenii et simplices sunt numero septem, ruber, aureus, flavus, viridis, caeruleus, indicus, et violaceus.

67. Colorum diversitas quae in corporibus sese prodit, ex eo pendet, quod nonnullos radios abundantius reflectant, quam alios quoscumque.

68. Color albus ex radiorum simplicium permixtione oritur; corpus vero ideo nigrum apparet, quod omnes aut ferè omnes luminis radios absorbeat.

” Est animorum, ingeniorumque nostrorum naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contemplatioque naturae; et indagatio ipsa rerum magnarum occultarumque habet oblectationem.“  
Tullius.

*Ex*



*Ex Ethica.*

**H**anc quoque aspice partem, quæ ceteras præceptorum utilitate et excellentia facile vincit, in eamque desinere debet omne Philosophiæ studium. Quò enim spectare debet Philosophus Christianus, nisi ut mores instruat, omne officiorum genus cognoscat et adimpleat, ut tandem honestam Deoque acceptam vitam transigat? *Philosophi non verbis, sed factis simus.* S. Cyprianus.

## OFFICIA HOMINIS ERGA SEIPSUM.

Homo tenetur omnes suas facultates spirituales et corporales perficere, ad finemque proprium dirigere: nempe *Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.* Juvenalis.

69. Omnium mentibus insidet lex naturalis, cujus nulla datur ignorantia invincibilis, quæque nullam mutationem, nullam dispensationem admittit.

70. Bonitas moralis est aliquid positivi; malitia vero moralis est privatio rectitudinis debitæ.

71. Nullus est actus humanus in individuo indifferens.

72. Actuum humanorum bonitas et malitia, non solum á fine ultimo, sed etiam ab objecto, et circumstantiis repetenda est.

73. Nunquam licet contra conscientiam agere: quod autem, eâ dictante, geritur, aliquando malum est, quando scilicet laborat errore vincibili.

74. Qui conscientiam habet dubiam, ab actu debet abstinere, si nulla urgeat agendi necessitas; quæ si adfuerit, partem tutiorem eligere debet.

75. Non



75. Non licet sequi opinionem minus probabilem, quæ favet libertati, in concursu alterius probabilioris quæ favet legi.

76. Non licet sequi opinionem probabilem, quæ favet libertati, in concursu alterius æquæ probabilis, quæ stat pro lege.

77. Suicidium propria voluntate commissum, actus est rebellionis erga Deum.

78. Qui seipsum voluntariè occidit, reus est in societatem, et crudelis in seipsum.

79. Circa quæstionem, an liceat, necne ad propriæ vitæ conservationem, injustum aggressorem occidere, perplexi sumus; verùm ad partem negativam nos potiùs inclinat Religio caritatis, quam profitemur.

80. Illicita prorsus sunt singularia certamina, quæ *duella* vocitantur.

### HOMINIS ERGA CETEROS HOMINÈS OFFICIA.

81. Homo natus est ad societatem cum aliis hominibus ineundam.

*Dulcis amor patriæ*, cujus leges infringere gravissimum nefas. Huic suas animi et corporis dotēs debent cives devovere. Graviter igitur peccant ii juvenes qui, neglectis egregiis animi facultatibus, turpi otio et mollitie diffuunt.

Pernitiosum illud vitium, quod sæpe ceterorum fons est, corriget societas paterna, in qua tenentur parentes liberis educationem dare ad normam pietatis dispositam, Tobiam æmulantes qui filium suum *ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato.*

Filii vicissim debent suis parentibus honorem,

amore



amorem, obedientiam, et auxilium. Quoties hæc inculcavi meis discipulis! quoties hæc a me audierunt! utinam altiùs corde retineant, et factis exeant, quæ tamdiu didiscere!

Et vero, societas religiosa amico foedere cum civili conjungitur, cujus pars est, ut per rerum sacrarum, et documentorum officia utilis sit patriæ, à qua vicissim subsidia temporalia non semel accipit.

82. Suprema Principum auctoritas à Deo, non à populo, suam habet originem.

83. Jus habent Principes seculares condendi leges, quæ conscientiam obligent.

84. Potest etiam Ecclesia potiori jure leges condere, quæ vim obligandæ conscientiæ habeant.

85. Non licet Judici condemnare hominem in re capitali accusatum, et sufficienti testium numero convictum, quem privatâ scientiâ certo novit esse innocentem; verùm a judicio debet abstinere; imo, si necesse sit, Magistratum deponere.

Judex in jure dicendo ipsius Dei personam sustinet, juxta illud Scripturæ ad Judices: *Videte quid facitis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini.* (Lib. 2. Paralip. 19. v. 6.)

### OFFICIA HOMINIS ERGA DEUM.

86. Summa hominis felicitas, seu beatitudo non in seipso, nec in bonis creatis, sed in solo Deo consistit.

87. Homo proinde tenetur omnes et singulas actiones deliberatas ad Deum, tanquam finem ultimum, referre ex amore saltem virtuali.

88. Deo cultus internus debetur.

89. Necessarius est etiam cultus Divinitatis externus.

90. Deus



90. Deus potest quasdam veritates revelare supra rationis humanæ captum positas, ac proinde earum fidem exigere.

91. Ad cognoscenda plurima legis naturalis præcepta, revelatione summoperé indigebat genus humanum.

92. Revelationis divinæ signa seu notæ sunt miracula et prophetiæ, quorum causa efficiens principalis est solus Deus.

93. Miraculum per se probat veram esse doctrinam, in cujus gratiam editum est: idem dic de prophetia.

94. Ergo Religio Christiana, in qua continentur Christi resurreccio, Apostolorum miracula, Justorum prophetiæ, Martyrum fortitudo, vera est ac divina.

95. Et vero, facta illa quæ in Novi Testamenti libris narrantur, omnimodam fidem sibi vindicant.

96. Nam sacri illi codices veré sunt authentici; nec unquam fuerunt quoad substantiam temerati.

97. Celeris etiam Christianæ Religionis propagatio quem, nisi Deum, auctorem habere potuit?

98. Constans demúm nostræ Religionis stabilitas et duratio inconcussam esse, potentissimoque Dei præsidio circumseptam.

Immortales igitur Deo Optimo Maximo grates rependere debemus, quod singulari ejus beneficio in Christianæ Religionis veluti gremio nati fuerimus et instituti, quam qui et mente et corde tenuerint, *pax super illos et misericordia*, et felicitas, et immarcessibilis gloriæ corona.

*Defendentur hora tertia post meridiem.*

Vidit Fr. Antonius Gutierrez Præses,  
Imprimase. = Villava.



co. Dicitur potest quodammodo veritate revelare supra  
 rationis humanae. caput postquam de primo es-  
 tam ad in rebus.  
 de ad contemplanda divina leges naturalis que  
 copis, revelationis sunt. et in quibus sunt  
 manum.  
 est. Revelationis estus sunt aut non sunt in-  
 lectus et probatur. quod non esset efficiens prin-  
 cipalis est solus Deus.  
 est. In rebus que se probat sunt esse docui-  
 ram, in epus gratiam edum est: idem die de  
 quibus.  
 or. Ergo Religio Christiana, in que continentur  
 etiam in rebus, et doctrinam naturalis, iusto-  
 ra, prophetia, et in mundo, vera est et  
 vera.  
 est in vero, factus est in mundo. In  
 his rebus, et in mundo, et in mundo.  
 or. Non sunt in mundo, et in mundo.  
 nos docent in mundo, et in mundo.  
 ex Ceteris enim in mundo, et in mundo.  
 quam, nisi Deus, et in mundo, et in mundo.  
 or. Constante de mundo, et in mundo, et in mundo.  
 et dicitur in mundo, et in mundo, et in mundo.  
 veritas in mundo, et in mundo, et in mundo.  
 et in mundo.  
 In mundo igitur Deo Optimo Maximo gratias  
 agendum est, quod singulari eius beneficio  
 in Christiana Religione vitam gloriosam aut tantam  
 vitam et iustitiam, quam qui de mente et corde re-  
 merit, per meritum et misericordiam, et felicitatem,  
 et in mundo, et in mundo, et in mundo.  
 Deinde in mundo, et in mundo, et in mundo.  
 Videri in mundo, et in mundo, et in mundo.  
 In mundo, et in mundo, et in mundo.



47